

Drygas, Anton

De iure imaginum apud Romanos

1872

Ant. 129 xe

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10997222-2

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Daten systemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

Ant.

129

XL



Ant. 129 xe
DE
IURE IMAGINUM APUD ROMANOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

**ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA**

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESISIBUS A SE PROPOSITIS

DIE VI. M. MAII ANNO MDCCCLXXII

HORA XII

PUBLICICE DEFENDET

ANTONIUS DRYGAS

POLONUS.

OPPONENTIUM PARTES SUSCIPIENT:

RICHARDUS BUENGER, CAND. PHIL.

ANTONIUS KALINA, DD. PHIL.



HALIS SAXONUM,

FORMIS PLOETZIANIS.

10 A

ILLUSTRISSIMAE SOCIETATI

A

CAROLO MARCINKOWSKI

I N

M. D. POSNANIENSI CONSTITUTAE

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

„Etiam quod discere supervacuum est, prodest cognoscere.“ Sen. de ben. VI, 1.

Rerum Romanarum fontes quo eos cumque perscrutamur, adhuc multa minus explicata reperimus, quae illustrata ad Romanorum animos recte cognoscendos permagni forent momenti. Huc prae ceteris etiam ius imaginum mihi referendum videtur.

Multi sane viri docti, quorum nomina deinceps proferemus, hac de re iam disputaverunt, sed nescio, num sat recte omnemque in partem eam exposuerint.

Ante omnia variae eorum offendunt opiniones, eo magis illae quidem inter se discrepantes, quod neque ullum imaginum exemplar ad nostra pervenit tempora, nec ab antiquis scriptoribus longior quaedam descriptio nobis prodita est. Imo loci, ubi de imaginibus agitur, pauci modo sunt eorumque plurimi leves nec satis fidi.

Primum imagines maiorum, quales apud veteres Romanos usitatae fuisse traduntur, tum cereae protomae arte plastica factae, tum pictae fuisse putabantur. Ed. Figrelus¹⁾ imagines cum effigiibus ex aere varioque marmore confectis comparabat, Lipsius²⁾ autem imagines nihil aliud nisi corporis effigies humerorum tenus e cera expressas fuisse censebat, sicut etiam Ernestius³⁾ et alii.

Coniecturam J. Fr. Christii,⁴⁾ quam suam octo annis ante Klotzius⁵⁾ divulgavit, Lessingius refutare conatus est eiusque

¹⁾ De statu illustrium Romanorum. Holmiae 1656. p. 88.

²⁾ Elect. lib. I. c. XXIX. p. 636.

³⁾ Archaeologia lit. VI, §. 8. p. 75 ed. Martin. Lipsiae 1790.

⁴⁾ Abhandlungen über die Literatur und Kunstwerke des Alterthums. Lpz. 1776. p. 39, 187, 302 sq.

⁵⁾ In praefatione ad opus: „Des Herrn Grafen v. Caylus Abhandlungen zur Geschichte und zur Kunst. Vol. I. Altenburg 1768.

operum editor Eschenburgius.¹⁾ Christius scilicet, vir doctissimus, imagines statuit picturas fuisse cerae inustas, hac quidem potissimum de causa, quod cera fragilis ac minus solida tempestatem sustinere non potuerit facileque sit diffissa.

Lessingius, et literarum et artium vir peritissimus, opinionem suam non pertexuit, quapropter eam Eschenburgius supplere tentavit. Hic igitur Christii vel potius Klotzii coniecturam refellens, imagines ait effigies expressas atque dein coloribus adumbratas fuisse, hanc sententiam auctoritate tam Lipsii et Guichardii²⁾ munitam ratus, quorum alter Plinii verba expressi cera vultus verterit: „les visages tirés au vif en cire,“ quam hacce Plinii artis imagines e cera exprimendi descriptione: „hominis autem imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit ceraque in eam formam infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi.“³⁾

Gurlittus⁴⁾ has imagines protomas opere anaglypho expressas fuisse existimabat, Pitiscus⁵⁾ vero duo proponebat imaginum genera, alterum e cera expressum, alterum coloribus et pictura repraesentatum. Benedicti⁶⁾ librum mihi parare non potui. Sed cur plures etiam opiniones afferam? Egregie enim cunctas has controversias ingeniosissimus ille Eichstaedtius⁷⁾ disceptavit, utpote nos docens, imagines „personas fuisse seu larvas, pectoribus tenus e cera factas ad eximiam vultus similitudinem, quam inducti etiam colores seu pigmenta adiuvabant, vivisque hominibus mortuorum figuras referentibus impositas.“ Cui sententiae lucem affert eminentissimus historicorum Graecorum Polybius⁸⁾ haec dicens: „μετὰ δέ ταῦτα θάψαντες καὶ ποιήσαντες τὰ νομιζόμενα τιθέασι τὴν εἰκόνα τοῦ μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰκίας, ξύλινα ναῖδια περιτιθέντες ἡ

¹⁾ Annotationes ad Lessingii opus: „Ueber die Ahnenbilder der Römer.“ Opp. vol. X. p. 305 sq. Berlin 1792.

²⁾ Funerailles et diverses manières d'ensevelir des Romains, Grecs et autres nations. Lyon 1581.

³⁾ H. N. XXXV, 12.

⁴⁾ Versuch über Büstenkunde. Magdeburg 1800 p. 9.

⁵⁾ Lexicon Antiquitatum Romanarum. Hagae Comitum 1737. T. II. p. 368.

⁶⁾ De imaginibus Romanae nobilitatis insignibus. Torgaviae 1783 et 1784.

⁷⁾ De imaginibus Romanorum. Petropoli 1806. p. 34. sq.

⁸⁾ Hist. VI, 53.

δὲ εἰκὼν ἐστὶ πρόσωπον εἰς ομοιότητα διαφερόντως ἐξεργασ-
 μένον καὶ κατὰ τὴν πλάσιν καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφὴν· ταύτας δὲ
 τὰς εἰκόνας ἐν τε ταῖς δημοτελέσι θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμοῦσι
 φιλοτίμως· ἐπὶ τῶν οἰκείων μεταλλάξῃ τις ἐπιφανὴς ἄγουσιν
 εἰς τὴν ἐπφορὰν περιτιθέντες ὥς ὁμοιοτάτοις¹⁾ εἶναι
 δοκοῦσι κατὰ τε τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἄλλην περικοπὴν.“ Hunc
 tamen Polybii locum cum omnes superiorum saeculorum inter-
 pretes, tum etiam Lessingius²⁾ secus intellexerunt, quippe vo-
 cabulum ὑπογραφὴ titulum, Unterschrift convertentes. At-
 que nuper etiam doctissimus Marquardtius³⁾ hanc vocem arbi-
 tratus est titulum vel elogium indicare. Mirum profecto, quia
 iam Sigonius,⁴⁾ rerum antiquarum perscrutator diligentissimus,
 recte sensisse videtur, haec scribens: „est autem imago, ut
 praeclare libro sexto Polybius, insignis alicuius viri simulacrum
 oris similitudinem artificiose effictam, coloribus pigmentis-
 que adumbratam referens.“ Pari modo Schweighaueserus⁵⁾
 locum Polybii intellexit, ὑπογραφὴν colorem interpretans. Aliam
 plane vim Casaubonus⁶⁾ tribuit Polybii verbis, „περιτιθέντες
 (τάς εἰκόνας vel τὰ πρόσωπα) ὥς ὁμοιοτάτοις εἶναι δοκοῦσι
 κατὰ τε τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἄλλην περικοπὴν“ sic vertens: „ad
 funeris elationem eas (imagines) proferunt et, ut quam similli-
 mae sint defunctis, reliquum etiam corporis truncum adiciunt,“
 quam interpretationem etiam omnes ceteri viri docti bona fide
 secuti sunt, quoad eam a Polybii mente abhorrere Schweighaeu-
 serus⁷⁾ primus animadvertit, optimeque hunc locum ita reddidit:
 „vultus illos cera expressos circumponunt (vel imponunt) homi-
 nibus, qui videntur defunctis simillimi esse et statura et reliquo
 corporis habitu, vel reliqua corporis forma.“ Vivos igitur fuisse
 homines, qui cereo vultu ad mortuorum similitudinem expresso
 instructi eorumque vestibus induti funera nobilium anteirent,
 Schweighaueserus perspicue indicavit, nec satis tamen ad ima-

¹⁾ Recte scripsit Schweighaueserus ὁμοιοτάτοις, quod ex coniectura mutandum putavit Budaeus in ὁμοιόταται, Reiskius in ὁμοιότατοι, J. Bekkerus et Ludov. Dindorfius Schweighaueseri emendationem receperunt.

²⁾ L. s. s. p. 294.

³⁾ Becker Handbuch der röm. Alterthümer. T. V, p. 247. annot. 1540. Lpz. 1864.

⁴⁾ De antiquo iure civium Romanorum II, 20.

⁵⁾ In annotationibus ad Polyb. lib. VI, 53. Vol. II, p. 567.

⁶⁾ Πολυβ. τὰ σωζόμενα. emend. lat. vertit et comment. illustr. J. Casaubonus. Par. 1609. VI, 53.

⁷⁾ L. s. s. p. 393.

gines ipsas animum advertit. Eius vero indicatione atque Xylandri¹⁾ versione Polybii Germanica subtilissime usus Eichstaedtius sententiam supra commemoratam tulit, quam ferme omnes recentiores viri docti adoptarunt. Paucis annis post immutare eam conatus est Quatremère-de-Quincy²⁾ hisce verbis: „Rien par conséquent n'empêche de croire que les portraits de famille en cire coloriées aient été dans les armaria, de bustes avec toute la tête, le col, la poitrine et de commencements de draperies, et que cependant, pour l'usage des cérémonies funèbres, on détachait, à l'effet de servir de masque, la partie antérieure de la tête qui constitue uniquement le visage.“ Certum quidem est, imagines quoddam statumen habuisse, in quo erant repositae, sed etiam vestes accessisse equidem non arbitror. In statuminibus illis titulos inscriptos fuisse veri est simile. Duo imaginum genera clarissimus Raoul-Rochette³⁾ distinguit: „portraits en cire, expressos cera vultus“ vel simpliciter ceras et „portraits sur panneau du bois,“ tabulae pictura encaustica. De hoc altero imaginum genere contra Klotzium Lessingius et Eichstaedtius satis disputaverunt, imagines pictura encaustica non factas fuisse evidentissime probantes. Quod Schoenius⁴⁾ nuper proposuit, imagines potius effigies humerorum tenus (protomas, Buesten), nunquam autem larvas fuisse, duobus illis effigierum exemplaribus in Hateriorum sepulcris inventis comprobari nequit; imo aurea larva Kertschi effossa⁵⁾ sententiae Schweighaeuseri et Eichstaedtii suffragari videtur.

Personarum usum antiquissimis iam temporibus apud Graecos, praesertim personas deorum in ludis Dionysiacis invenimus.⁶⁾ Tales fuerunt imagines Praxidicae⁷⁾, vetustum simulacrum Cereris, cognomine Cidariae, Phenei in Arcadia⁸⁾. Quin et apud populos Africae et Asiae, velut apud Aegyptios, Chineses, alios, personas usitatas fuisse nos Mariscottus⁹⁾ docuit, qui eas etiam

¹⁾ P. 355.

²⁾ Le Jupiter Olympien. Paris 1815. p. 14 et 36.

³⁾ Peintures antiques inéd. Paris 1836. p. 334 sq.

⁴⁾ Archaeologische Ztg. hrg. v. Ed. Gebhard. Berlin 1866. p. 230*.

⁵⁾ Ouwaroff rech. sur les antiq. de la Russie mérid. I p. 14. Antiq. du bosph. Cimm. 1.

⁶⁾ Pausan. I, 2.

⁷⁾ Hesych. et Luid. s. v. Πραξιδική.

⁸⁾ Paus. VIII, 15.

⁹⁾ De personis et larvis in Graevii thesauro antiquitatum Rom. IX, p. 1119 sq. et 1127.

in pompis funebribus feretrum autecessisse dicit. Ab illis populis, imprimis a Graecis, personarum usus ad Romanos pervenit ibique adeo est receptus, ut illae omnibus diebus festis adhiberentur¹⁾. Cum igitur in triumphis, ludis solemnibus, conviviis personae frequentarentur, quidni in pompis funebribus? Religione, amore, caritate adducti superstites memoriam dilectorum mortuorum etiam vultus imagine, in qua animi affectiones optime cernuntur, consecrare cupiebant. Unde imagines in pompis funebribus iam temporibus antiquissimis usitatas fuisse apparet.

Hinc igitur imaginum origo repetenda ac facile est intellectu, easdem in personarum modum factas esse, sicut supra demonstravimus atque etiam veteres auctores videntur indicasse. Nimirum Plinius²⁾ imagines appellat vultus ita disserens: „aliter apud maiores in atriis haec erant, quae spectarentur; non signa externorum artificum, nec aera aut marmora; expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera; semperque defuncto aliquo totus aderat familiae eius, qui unquam fuerat populus.“

Hos vultus autem pictos fuisse praeter Polybium et Plinium luculenter etiam ostendit Iuvenalis his verbis³⁾:

„Stemmata quid faciunt? Quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censi pictosque ostendere vultus
Maiorum?

Quod ad imaginum materiem attinet, res est apertior, quam ut pluribus exponatur. Testis locupletissimus est Plinius dicens: „expressi cera vultus,“ nec minus Iuvenalis⁴⁾ canens:

„Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus,“

itemque Ovidius⁵⁾ scribens:

„Perlege dispositas annosa per atria ceras.“

Notabilia etiam sunt duo capita cerea Cumis reperta anno

¹⁾ Mariscottus l. s. s. p. 1107 sq. Cf. Abramus not. ad Cic. p. Mil. 13. Reimar. ad Cass. Dion. LVI, 34. J. Bapt. Pacichellius, de mascheris seu larvis. Neap. 1693. p. 12 et 28 sqq. Ch. Henr. Bergerus de personis vulgo larvis s. mascheris. Francof. 1723. p. 48—58. Frid. Platnerus ad verba Quintil. XI, 3. Lips. 1748. Car. Aug. Böttig. de personis scenicis vulgo larvis, ad Terent. Phorm. I 4,32. Vimar. 1794. Eichstaedt. l. s. s. p. 116.

²⁾ H. N. XXXV, 2.

³⁾ Sat. VIII, 1 sq.

⁴⁾ Id. v. 19 sq.

⁵⁾ Fast. I 591.

MDCCCLII¹⁾, quae sunt documento ceram ad vultum defuncti exprimendum persaepe usurpatam esse, si aestuoso aëre vel, quod crebrius accidit, veneno deformatus esset. Neque minus cera ad tota capita compensanda, si praecisa essent, praecipue ea de causa adhibebatur, quod cera mollis atque ductilis vultus similitudinem facillime reddebat. Propterea etiam, quod hae imagines cereae erant, a poetis cerae dicebantur²⁾. Posterioribus tamen temporibus, cum Graecorum artificia Romanis innotescere coepissent, iidem similium cupiditate inflammati non iam cereas imagines, sed aureas atque marmoreas statuas toto corpore faciebant easque cum aliis signis in atriis ponebant³⁾. Huc spectant et Invenalis⁴⁾ versus, quibus Aemilium causidicum, quod statuam suam equestrem in atrio constituerat, perstringit et iam laudatus Plinii locus, ubi ait de signis externorum artificum in atriis positis. Verumtamen haec signa significatione propria non erant imagines. Falsa igitur Crameri⁵⁾ ceterorumque opinio, easdem etiam ex aere vel marmore factas fuisse.

Clipeatae autem imagines vel imagines clipeorum erant vultus clarorum virorum anaglypho opere in clipeis aeneis efficti, qui in templis consecrabantur⁶⁾. Hae tamen imagines imperatorum demum aetate usu receptae sunt⁷⁾.

Imaginibus tituli honorum rerumque gestarum subscribebantur, quibus potissimum vir quisque excelluerat. Etiam ordines magistratum curulium pariterque aequalium sacerdotiorum hoc animo consignabantur, ut posterius bonis maiorum exemplis excitati honores etiam ampliores appeterent. Id ipsum dixit Valerius Maximus⁸⁾ his verbis: „effigies maiorum cum titulis suis idcirco in prima aedium parte poni solere, ut eorum virtutes

¹⁾ Archacologische Ztg. Berlin 1867. p. 85 sq.

²⁾ Iuven. Ovid. ll. s. ss. De arte e cera fingendi cf. C. A. Boettgeri Sabina p. 259 sq. et Eschenburgii annotationes ad Lessingii opus: „Ueber die Ahnenbilder der Römer“ p. 318 sq.

³⁾ Schoenius in Bull. dell' inst. 1866. p. 99 posteriores effigies marmoreas ex personis cereis initium duxisse docuit. cf. Iuven. Sat. VIII, 3. Martial. II. 90,6.

⁴⁾ Sat. VII, 115 sq.

⁵⁾ Commentarii de iuribus et praerogativis nobilitatis avitae. Lips. 1739. p. 37 sq.

⁶⁾ Cf. Gurlitt. „Archaeologische Schriften.“ Altona 1831. p. 200 sq. et descriptionem clipei argentei Theodosii in Aem. Huebneri „Die antiken Bildwerke in Madrid.“ p. 213–216.

⁷⁾ Cf. inscrpt. Morin. (Arv. p. 654).

⁸⁾ V. 8, 3.

posterī non solum legerent, sed etiam imitarentur.“ Atque alio loco ¹⁾ de Valerio Publicola hoc prodidit: „tres consulatus acceptissimos populo Romano gessit et plurimorum ac maximorum operum praetextu titulum imaginum suarum amplificavit.“ Quod idem commemorat Iuvenalis ²⁾: „primum aliquid da, quod possim titulis inscribere praeter honores“ multique alii ³⁾.

Titulo huic nomen indicis allatum legimus in panegyrico in Messalam, qui Tibullo ⁴⁾ addicitur: „nec quaeris, quid quaque index sub imagine dicat.“

Primis temporibus breviter, plurimum versibus, concipiebantur isti tituli, sicut legimus apud Tacitum ⁵⁾: „C. Cassii effigiem ita inscriptam: duci partium,“ vel Nepos de Attico narravit ⁶⁾: „versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit: quod vix credendum sit tantas res tam breviter potuisse declarari.“ Cum autem gloriae avidi posterī degeneres splendore magnoque honorum ordine sese iactare atque sibi invicem aemulari coeperunt, longi tituli honoribus commenticiis conscribebantur, quod Livius ⁷⁾, eminentissimus rerum scriptor, vehementer perstringit hisce verbis: „vitiatam memoriam falsis imaginum titulis reor, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt.“

Titulos vero imaginum primis temporibus nominativo scriptos fuisse nos antiquitatum peritissimus Th. Mommsenius ⁸⁾ docet, ac postmodum etiam dativus poni coeptus est ⁹⁾.

¹⁾ Id IV, 4, 1.

²⁾ Sat. VIII 67 sq.

³⁾ Ovid. Fast. I, 591. Liv. X, 7. Plin. H. N. XXXV, 3. Vell. II. 116, 4.

⁴⁾ IV, 1, 30.

⁵⁾ Ann. XVI, 7.

⁶⁾ Attic. c. 18. cf. Cic. ad Attic. I, 16.

⁷⁾ VIII, 40. cf. id. X, 7. Horat. Sat. I, 6, 15.

⁸⁾ Handbuch der röm. Alterthümer. Röm. Staatsrecht. T. I. p. 361. annot. 1. Lips. 1871.

⁹⁾ Inde etiam ortae sunt, ut Mommsenius arbitratur, inscriptiones aetatis imperatoriae sepulcrales, quarum unam exempli causa ex Corp. inscrpt. lat. I. p. 278. I. afferam:

L-AEM		il		IVS-L-F-PAVLLVS
CO		sii		CENS-AVGVR
TR		i		VMPHAVIT-TER

Transeo ad stemmata, quae post Ciceronis demum aetatem usu recepta Paulus¹⁾ nobis clarissime sic descripsit: „stemmata cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera est superior, altera inferior. Ex superiore autem et secundo gradu transversae lineae pendent.“ Maiorum imagines enim in armariis ita disponebantur, ut patrem semper sequeretur filius ad ordinem gentis indicandum. Quo evidentius autem origo cuiusque illustraretur, ad imagines discurrebant lineae, quae nomina familiae longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris²⁾ continebant. Erant hae lineae vero nostris stemmatibus similes, non tales, ut Eichstaedtius³⁾ existimat: „eas lineas ab utroque imaginis latere transversim ductas fuisse atque inde varias et orbiculatas et quadratas et oblongas figuras exstitisse, quibus deinde, tanquam in tabula quadam tota nobilitas avorum et proavorum inscriberetur.“ Minime ab ullo scriptore relatum invenimus, stemmata imaginem ambiisse atque inerti vel coronae modum eam inclusisse. Nostram sententiam etiam Paulus comprobare videtur, cuius supra mentio facta est. Namque secundum eum stemmata in duas separabantur lineas, quarum altera erat superior, altera inferior. Atque illa quidem ducta erat ad imaginem patris, haec vero transversa in plures discurrebat partes, pro eo, quot quisque habuerat liberos. Huc addi possunt, quae Isidorus⁴⁾ retulit: „stemmata dicuntur ramusculi, quos advocati faciunt in genere, cum gradus cognationis partiuntur.“ Ramusculi scilicet simpliciter lineas significant. Neque alia ratione Plinius⁵⁾ scripsit: „stemmata lineis discurrebant ad imagines pictas⁶⁾.“

Stemmata autem cum titulis, illud splendoris familiae Romanae fastigium, aetate morum corruptorum depravatorumque

cf. Mommsen, Röm. Münzwesen, nummus n. 274. p. 632. annot. 486. Hunc igitur in modum tituli conscribebantur.

¹⁾ Dig. XXXVIII, 10. 9.

²⁾ Senec. de benef. III, 28.

³⁾ L. s. s. p. 114.

⁴⁾ Orig. IX, 6.

⁵⁾ L. s. s.

⁶⁾ Cf. Iuvenal. Sat. VIII, 1. Stat. Silv. III, 3,43. Martial. IV, 40,1. Suet. Ner. 37, Galb. 2, Pers. sat. III 28 Vid. etiam Becker, Handbuch der röm. Alterthümer. T. II, p. 220, ubi sententiam in Gallo I, 136 dictam revocare atque in nostram videtur inclinare. Raoul-Rochette l. s. s. p. 342 sq.

frequentissime falso composita esse in altera dissertationis parte exponemus.

Hic nobis commemorandum maiorum imagines magna cum religione summaque cum cura in atriis conservatas esse, ubi ligneis armariis in templi modum aedificatis includebantur, id quod satis cognoscimus cum ex aliorum auctorum¹⁾, tum potissimum ex hisce Polybii verbis²⁾: „τιθέασι τὴν εἰκόνα τοῦ μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰκίας, ξύλινα ναῖδια περιτιθέντες.“ Atrium ad imagines conservandas aptissimus locus erat. Hic omnis splendor ac magnificentia domus ostendebatur. In atrio plerumque familia versabatur, hic mulieres telam texebant³⁾, hic coenabatur et dii colebantur, hic erant pecuniae⁴⁾ et flecti geniales⁵⁾. Hospites etiam in hac aedium parte excipiebantur et focus erat penetralis⁶⁾, in quo perpetuus ignis diis Penatibus ardebat⁷⁾, cuius quidem fumus insurgens imagines fumigabat, praesertim cum armaria diebus festis aperta essent, unde imagines fumosae⁸⁾ ob vetustatem etiam veteres dictae sunt⁹⁾. Nulla ergo aptior aedium pars erat, ubi imagines servarentur, quam quo universa familiae vita conferebatur¹⁰⁾.

¹⁾ Plin. l. s. s. Val. Max. V, 8, 3. Martial. II, 90, 6. Senec. de benef. III, 28. Epist. 44. Iuven. Sat. VIII, 1 sq. Suet. Galb. 2. Ner, 31. Vitruv. VI, 3, 8. Quintilian. XI, 2, 20. Virg Aen. I, 725, II 483, IV 665, XII, 473. Ovid. Met. V, 5.

²⁾ L. s. s.

³⁾ Vid. Arnob. II p, 91. Liv. I, 57.

⁴⁾ Vid. Serv. ad Aen. I, 730, IX 648.

⁵⁾ Vid. Asc. ad Cic. p. Mil. 5.

⁶⁾ Vid. dirg. Aen. II, 485 et 513 sq. VIII 59 sq. Paul. Diac. 208.

⁷⁾ Vid. Schol. ad Horat. epod. II, 43. Hertzberg de diis Romanis patraiis. Halae 1840. p. 64 sq.

⁸⁾ Vid. Cic. in Pis. 1. Senec. Epist. 44. Vossius ad Virg. Georg. II, 242. p. 363. Beckmann. Beiträge zur Geschichte der Erfindungen. II, 3 p. 409.

⁹⁾ Ovid. Amor. I, 8, 65. Iuven. Sat. VIII, 1. sq.

¹⁰⁾ De atris alii aliter sentiunt. Dicunt quidam atrium idem fuisse, quod cavum aedium (uti O. Müllerus Etrusker I, 255, Welckerus Archaeolog. p. 400. Nissenus, das Templum. Berlin 1869. p. 139.), alii cavum aedium volunt totum interius spatium, atrium autem tectas solum eiusdem partes fuisse (Schneiderus ad Vitruv. II p. 432 sq. Zeitschrift f. Alterthumswisschft. 1838. N. 72. Böttcherus, Der Hypätraltempel, Potsdam 1847. p. 6. 19), alii denique contrarium contendunt. Cunctas opiniones

Lessingius atrium proprium locum maiorum imaginibus ponendis destinatum fuisse negat dicitque¹⁾: „das ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae, welches Cicero, wie er sagt, erst durch seine Erhebung zum Aedilis erhielt, ging bloß auf öffentliche Oerter und erstreckte sich auf das Wohnhaus des Bürgers nicht. Dort auf den Strassen und freien Plätzen, in Tempeln und Gebäuden für das gemeine Wesen hatten nur die das Recht ihre Bilder aufzustellen, welche sich in curulischen Würden um den Staat verdient machten. Aber wo findet man die geringste Spur, dass es allen andern Römern sei benommen gewesen ihr eigenes Bildniss innerhalb ihrer vier Pfähle zu haben?“ Confundit, ut mea quidem fert opinio, Lessingius maiorum imagines cereas cum marmoreis vel aeneis, quae viris de re publica potissimum bene meritis in locis publicis constuebantur, velut imago Scipionis Africani maioris in cella Iovis Optimi Maximi vel Catonis Censorii in curia²⁾. Nec tamen quis-

oppugnavit Beckerus (Gall. II, 159 sq.), evidentissime is quidem declarans, cavum aedium et atrium diversas fuisse partes. Discernenda tamen sunt adversus Beckeri sententiam atria ex more veterum (Plin. Ep. V, 6. II, 17. H. N. XXXV 2) et novo ritu (Horat. Od. III 1, 46. Varr. de l. l. VIII 28 sq. cf. annott. Reinii in Beckeri Gallo p. 169 sq. et descriptiones Zahnii „die schönsten Ornamente und merkwürdigsten Gemälde aus Pompei Herculaneum und Stabiae“. Berlin 1842). Item atria privata et publica differebant, quippe illa in usum familiae in aedibus privatis construebantur, haec erant in templis, ubi quaestiones de servis habebantur (Liv. XXV, 7. Cic. p. Mil. 22), sortitiones fiebant (Liv. XLV, 15), edicta proponebantur, alia, quae ad rem publicam pertinebant. Marquardtius (C. Beckers Handbuch der röm. Alterthümer. Leipzig 1864. V p. 241 sq.) quinque discernit atriorum genera, quae sunt: atrium Tuscanicum tetrastylum, Corinthium, displuviatum, testudinatum. Vide etiam Hirt. Gesch. der Baukunst II. 277. Publicorum atriorum permulta invenimus commemorata sicut atria Libertatis in foro (Cic. ad Attic. IV, 16) et in Aventino (Liv. XXIV, 16), atrium Vestae (Cic. ad Q. Fratr. III, 1. Plin. ep. VII, 19 Schneider. ad Vitruv. II, p. 446), Minervae (Prel. Regionen der Stadt Rom p. 119. 120 143. 144. 250), Tiberinum (Ovid. Fast IV, 3. 29) atrium publicum in Capitolio (Liv. XXIV, 10), Palatii atrium (Serv. ad Aen. XI, 253), atrium regium (Liv. XXVI, 27), alia.

Ceterum nomen atrii ab adiectivo ater deducendum, quia pars ista domus a fumo atriensi atra facta est. Cf. Schwegler. Röm. Gesch. I, 275 et. Momms. Röm. Gesch. I, 229.

¹⁾ Ueber die Ahnenbilder der Römer. p. 269. Opp. X. ed Eschenburg

²⁾ Val Max. VIII, 15,1: De P. Cornelio Scipione Africano maiore: „imaginem, inquit, in cella Iovis Optimi Maximi positam habet, quae

que vir curulis ius imaginis suae in locis publicis ponendae habebat, nam vel omnia Romae loca publica ad innumeras imagines recipiendas non suffecissent, praesertim sub finem reipublicae, cum unusquisque rerum gestarum gloriam atque laudem redimere posset.

Certarum quidem familiarum imagines maxime republica libera labente per urbis templa sparsas fuisse et auctores docent et ipsa monumenta, sed id modum excedebat¹⁾. Destinatus vero imaginum locus erat atrium, ut ex permultis testimoniis veterum scriptorum elucet, quorum ex numero Polybius²⁾, Plinius³⁾, Seneca⁴⁾, Invenalis⁵⁾, Martialis⁶⁾, Valerius Maximus⁷⁾, Vitruvius⁸⁾ plurimum valent. Ciceronis dictum, se aedilem designatum esse ideoque ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae habere, alios hoc iure carere probat; sin non erat vetitum, ut Lessingius censet, omnes Romanos imagines suas intra parietes collocare, in atrio tamen eas ponere diebusque solemnibus usurpare minime omnibus licebat. Quotiescumque enim dies festus seu publice seu privatim celebrabatur, nobiles atria ornabant aperiebantque armaria et imagines coronis sertisque redimebant⁹⁾.

quotiescumque funus aliquod Corneliae genti celebrandum est, inde petitur unique illi instar atrii Capitolium est. Tam hercule, quam curia superiori Catoni; unde effigies illius ad eiusdem generis officia expromitur.“

¹⁾ Tale quid primum fecisse cognovimus Ap. Claudium Caecum (cos. u. c. 447. 458) de quo Plinius haec scripsit (H. N. XXXV, 3): „cli-
peos in sacro vel publico dicere privatim primum instituit App Claudius
Caecus, qui consul cum P. Servilio fuit anno urbis CCLIX, posuit enim
in Bellonae aede maiores suos placuitque in excelso spectari et titulos
honorum legi.“ Quod Plinius App. Claudium cons. CCLIX pro Caeco no-
minavit, error est facile emendandus, quod Bellonae aedem a Caeco fac-
tam esse constat. Concessum igitur quodammodo esse potuerat App. Claudio
Caeco imagines in Bellonae aede collocare, quod eam extrui iussit. Fe-
cerunt idem postea et alii. Vid. Mommsen. Corp. Inscript. Lat. I, p. 277
sq. et „Handbuch der röm. Alterth. Lips. 1871. T. I. p. 365 sq.

²⁾ VI. 53: „μετὰ δὲ ταῦτα θάψαντες καὶ ποιήσαντες τὰ νομιζόμενα
τιθέασιν τὴν εἰκόνα τοῦ μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰ-
κίας, ξύλινα ναῖδια περιτιθέντες.“

³⁾ H. N. XXXV, 2. „in atriis haec erant, quae spectarentur — ex-
pressi cera vultus singulis disponebantur armariis.“

⁴⁾ De benef. III, 28: „in parte prima aedium.“

⁵⁾ Inven. l. s. s.

⁶⁾ Martial. l. s. s.

⁷⁾ Val. Max. l. s. s.

⁸⁾ Vitruv. VI, 3, 6. Cf. Senec. Epist. 44. Suet. Gall. 2.

⁹⁾ Senec. Contr. III. 21; „indicit festum diem: aperiri iubet maio-
rum imagines.“ Polyb. VI 53: „ταύτας δὲ τὰς εἰκόνας ἐν τε ταῖς δημοτε-

Summa autem cum pompa maiorum imagines in funeribus ostentabantur, ubi viri personis impositis mortuam gentis progeniem comitabantur atque hoc modo universa familia inde ab homine novo una esse videbatur. Quapropter etiam, ut ait Plinius: „expressi erant cera vultus, ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera; semperque defuncto aliquo totus aderat familiae eius, qui unquam fuerat populus.“ Qua occasione nobiles libenter utebantur ad demonstrandum vetustum suum genus, namque imaginum specie, dixit M. Aemilius Lepidus¹⁾, non sumptibus nobilitari magnorum virorum funera solere. Ex longo igitur imaginum ordine magna ac vetus prosapia censebatur itidemque excellentes huius virtutes meritaque de patria cognoscebantur. Modum vero, quem Romani in maiorum imaginibus praeferendis adhibebant, nobis Polybius²⁾ accuratissime retulit. Ex eius descriptione funeris Romani comperimus, maiorum imagines ab hominibus statura et reliquo corporis habitu extincto simillimis praelatas esse, qui togas induerant, si mortuus vir nobilis consularis aut praetorius fuerat, praetextas; si censorius, purpureas; si fuerat triumphalis aut digna triumpho gesserat, aureas. Iidem curribus processerunt; fasces autem et secures, et quaecumque alia magistratus comitari solebant insignia, antelata sunt pro dignitate, quam quisque, dum vivebat, in re publica obtinuerat. Cum ad nostra pervenissent ex ordine omnes sellis eburneis consederunt. Quacum Polybii expositione consentanea est haecce Diodori Siculi³⁾ descriptio funeris Aemilii Pauli: „*Τῶν γὰρ Ῥωμαίων οἱ ταῖς εὐγενείαις καὶ προγόνων δόξῃ διαφέροντες, μετὰ τὴν τελευτὴν εἰδωλοποιοῦνται κατὰ τε τὴν τοῦ χαρακτῆρος ὁμοιότητα, καὶ κατὰ τὴν ὅλην τοῦ σώματος περιγραφὴν, μιμητὰς ἔχοντες ἐκ παντὸς τοῦ βίου παρατετηρηκότας τὴν τε πορείαν καὶ τὰς κατὰ μέρος ιδιότητας τῆς ἐμφάσεως. Παραπλησίως δὲ καὶ τῶν προγόνων ἕκαστος προηγείται τοιαύτην*

λέσει θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμοῦσι φιλοτίμως.“ Flav Vopisc. 6. Cic. p. Muren. Aperiebant maiorum imagines et qui grave aliquod crimen publice diluissent in fidem innocentiae. Cf. Cic. p. Sulla 31: „Nam ipse quidem, si erit vestro iudicio liberatus, quae habet ornamenta, quae solatia reliquae vitae, quibus laetari et perfrui possit? Domus, credo, erit exornata aperientur maiorum imagines.“

¹⁾ Vid. Liv. Epit. XLVIII.

²⁾ L. s. s.

³⁾ XXXI, frg. 4. cf. Hor. Epod. VII, 11. Prop. II, 10, 19. Sil. Ital. X. Cic. p. Mil. 32.

ἔχων διασκευὴν καὶ κόσμον· ὥστε τοὺς θεωμένους, διὰ τῆς ἐκ τούτων ἐμφάσεως γινώσκειν, ἐφ' ὅσον ἕκαστος τιμῆς προήχθησαν καὶ μετέσχον τῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ καλῶν.“ Hinc satis superque apparet, imagines personas fuisse cereas, quae vivis hominibus in pompis funebribus inductae sint. Haec igitur plana, nec ulla ratione dubia existimamus.

Restat, ut de imagine eius ipsius, qui efferebatur, pauca addamus. Postquam quispiam ex familia nobili mortuus est, eius cadaver ablutum vestibisque indutum in coronato lecto funebri in atrio exponebatur¹⁾ et octavo demum die post sepeliebatur. Quo temporis spatio cadaver in Italia facillime putrefactum esse, manifestum est. Ne igitur vultus defuncti (reliquum quidem corpus vestibus tectum erat) deformis cerneretur, ei larva cerea imponebatur, quacum etiam comburebatur vel aetate posteriori humabatur²⁾. Hoc duo Cumis reperta capita cerea et Kertschi larva aurea in ore sepulti sita, quorum iam supra mentionem fecimus, comprobare videntur.

In exequiis ipsis procedebat feretrum „archimimus personam defuncti ferens imitansque, ut mos erat, facta ac dicta vivi³⁾“; eum sequebantur maiorum imagines et deinde cadaver defuncti in lecto funebri⁴⁾ repositum conspiciebatur. Primis temporibus feretra portabantur aperta⁵⁾, Caesarum vero aetate cadavera includebantur capsulis et super lecto imago defuncti collocaba-

¹⁾ Quod Augusti cadaver secundum Suetonium (Oct. 100) in vestibulo domus collocabatur, hoc ideo factum est, ut eum omnis populus visere posset. Hanc ob causam etiam in foro exponebantur cadavera, ut Caesaris (Cass. Dio XLIV, 35.), Drusi (id. LV 2.), Virginiae (Dionys. Hal. XI 39), Octaviae (Cass. Dio LIV, 35. Suet. Oct. 100).

²⁾ Cadavera apud Romanos cremabantur et procedente demum fide Christiana humari coepta sunt. Cf. Jac. Grimm: „Ueber das Verbrennen der Leichen.“ Abhandlungen der Kgl. Academie der Wissenschaften zu Berlin 1849.

³⁾ Suet. Vesp. 19. Cf. Dionys. Hal. VII 72: „εἶδον δὲ καὶ ἐν ἀνδρῶν ἐπισήμων ταφαῖς, ἅμα ταῖς ἄλλαις πομπαῖς προηγομένους τῆς κλίνης τοὺς σατυριστὰς χοροὺς, κινουμένους τὴν σικίννην ὄρχησιν· μάλιστα δὲ ἐν τοῖς εὐδαιμόνων κήδεσι.“ Vid. et Suet. Tib. 37.

⁴⁾ Hunc lectum Cassius Dio LVI, 34 ita descripsit: „κλίνη ἣν ἐκ τε ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ πεποιημένη καὶ στρώμασιν ἁλουργοῖς διαχρύσοις κεκοσμημένη· καὶ ἐν αὐτῇ τὸ μὲν σῶμα κάτω πον ἐν θήκῃ συνεκέκρυπτο.“

⁵⁾ Britannicus apertus ferebatur (Cass. Dio LXI, 7), sed Scipio Africanus, quia trucidatus erat, velato capite elatus est (vell. II, 4, 6).

tur¹⁾. Tum habita pro rostris laudatione funebri²⁾, saepissime ea quidem mendaci³⁾, pompa illa ad ustrinam perrexit, ubi cadaver in rogo cremabatur, cineres autem et ossa subinde in urnis composita humabantur. Quibus iustis peractis imago elati in atrio maiorum imaginibus inserabatur atque stemma gentile tali modo rursus uno ramo augebatur.

¹⁾ Appian. b. c. II, 147 de funere Caesaris ait: „*Ἀνέσχε τις ὑπὲρ τὸ λέχος ἀνδρείκελον αὐτοῦ Καίσαρος ἐκ κηροῦ πεποιημένον· τὸ μὲν γὰρ σῶμα, ὥς ὕπτιον ἐπὶ λέχους, οὐχ ἑωρᾶτο.*“ Herodian. IV, 2. Cass. Dio LVI, 34. De pompa funeris Romani vid. Tac. Ann. I, 8. III, 2. Lucan. VIII, 733. Gell. XX, 2. Joh. Kirchmann. De funeribus Romanorum libri IV. Lugd. Batavorum 1672. Becker, Charicl. II, 166 sq. Gallus II, 270 sq.

²⁾ De origine huius moris nonnulla refert Dionys. Hal. V, 17. Secundum Livium V, 5, 7 et Plut. Camill. 8 hicce mos erat antiquus et iam Camilli tempore laudationes funebres habebantur; sed secundum Ciceronem de or. II, 11, 44 sero exstitit primusque Q. Lutatius Catulus anno 102 a. Ch. in funere matris suae Popiliae laudationem funebrem habuisse fertur. Cf. Liv. II, 47, 10. 61, 9. VIII, 40, 4. Suet. Caes. 6, Oct. 8, Tib. 6, Calig. 10, Claud. 1, Ner. 9. Plut. de virt. mut. VII, p. 1. Fragmenta talium laudationum in funere mulieris cuiusdam exstant in Orelli inscrpt. 4859 et 4860. Vid. etiam Mommsenii „Zwei Sepulcralreden aus der Zeit Augusts und Hadrians. Abhandlungen der Kgl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1863 p. 455 sq. Hae laudationes semper a cognatis habebantur, in funere autem publico senatus oratorem designabat. Vid. Quintil. III, 7, 6.

³⁾ Vid. Cio. Brut. 16. Liv. VIII, 40.

Posteaquam in superiore dissertationis parte de imaginibus ipsis, quaenam earum fuerit forma ac materies, quinam locus ususque disputavimus, nunc de huius moris origine, de iuribus et privilegiis nobilium atque reliquo rerum statu, qualis his ex iuribus in republica Romana emanaverit, nobis agendum est.

Iam apud populos vetustissimos quosdam homines praestantiores atque insigniores invenimus, qui inter omnes vel magnitudine ac vi corporis vel ingenii acumine et prudentia excellentes maiorem honoris gradum consecuti et prae ceteris magni aestumati sunt¹⁾. Tempore procedente sic quidam nobilitatis gradus exstitit, cuius apud alios populos aliae conditiones erant. Potissimum vero nobilitas apud Romanos longe processit, qui omnia eius iura ac privilegia fere sacrosancta habebant. Quapropter nusquam maius inter nobilitatem et plebem discrimen intercessit, quam apud Romanos. Itaque etiam res Romanae maximam partem sunt historiae perpetuarum contentionum intestinarum ac bellorum inter plebeios et patricios, postea nobiles, gestorum, qui illos imperio suo subiectos volebant. Praecipue regibus expulsis haec discidia graviora exstiterunt²⁾. Totum civitatis regimen ad patricios conferebatur; consilia comitiorum centuriatorum, in quibus praevalebant plebei, comitiis curiatis ad decernendum proponenda erant, magistratus autem omnes erant penes patricios. Praeterea plebei ad extremam redigebantur inopiam; quamquam enim ad victorias ab hostibus reportandas sanguine suo et tributo plurimum conferebant, tamen praedae non erant participes solique patricii eam inter se dividebant atque etiam hostium agros occupatos parvo redimebant. Hac ratione plebei a patriciis pecunias mutuari cogeantur, quas cum reddere non possent, nexu vinciebantur. Exortae hinc sunt illae pugnae inter plebeios et patricios maxima cum acerbitate a parte utraque pugnatae. Iam M'. Valerius, dictator a. 494 a. Ch., bello cum Aequis prospere finito plebeiorum inopiam minuere voluit, sed ei tantopere a patriciis repugnatum est, ut

¹⁾ Cf. Meiners Grundriss der Gesch. der Menschheit p. 198.

²⁾ Liv. II, 21: „plebi, cui ad eam diem summa ope inservitum erat, iniuriae a primoribus fieri coepere.“ Cf. Dionys. Hal. VI, 21. 22. 76. Sall. Hist. fr. I, 11.

dictatura sese abdicare cogeretur. Peiora etiam acciderunt posterioribus, qui plebem sublevare eiusque saluti prospicere studebant. Veluti Sp. Cassius, consul a. 486, Cn. Genucius, tribunus a. 476, C. Terentilius Harsa, tribunus a. 462¹⁾, Sp. Maelius a. 440 et M. Manlius a. 385, homines privati, pro plebis salute certantes mortem occubuerunt. Tandem vero plebeis contigit, ut ex lege Licinia maiores magistratus et eadem cum patriciis iura et privilegia consequerentur, sed ne tum quidem caedes finitae erant, quas plebis patronis patricii faciebant. Memoraverim tantum fratres Tib. Sempronium Gracchum et C. Sempronium Gracchum, qui aequae ac multi alii pro salute plebis perierunt. Vehementissime igitur plebeis pro re quaque a patriciis impetranda pugnandum erat. Postquam autem a. 366 a. Ch. consulatum acceperunt, celeriter etiam alios magistratus adeoque praeturam et pontificatum adepti sunt.

Nec fieri poterat, quin plebeiis ad summos honores admissis etiam status rerum Romanarum et publicarum et civilium commutaretur. Cum adhuc patricii singularem quandam nobilitatem gentiliciam obtinuissent, iam aliud nobilitatis genus ex magistratibus curulibus²⁾ pendens exstitit, quod unicuique assequi licebat. Eadem nobilitas cum aliis privilegiis minoribus, tum maxime iure imaginum utebatur, quod summum, ut vidimus, familiae decus erat. Quando quidem hoc ius ortum sit, tantis involutum est tenebris tantisque virorum doctorum dissensionibus implicitum, ut perdifficile sit, ex hac opinionum varietate ema-

¹⁾ C. Terentilius Harsa, ut est verisimile, etiam necatus est, quoniam postero anno 461, cum eius lex de quinque viris ex plebe creandis ferretur, qui leges de imperio consulari scriberent, non iam aderat.

²⁾ Magistratus curules erant: aediles curules (Cic. Verr. V, 14, 36. Liv. VII, 1, 5. IX, 46, 9) praetores, consules; praeterea reges (Liv. I, 20, 2: curuli regia sella), interreges, dictator (vid. elog. M'. Valer. in Corp. Inscript. Lat. I, p. 284), magistri equitum (Cass. Dio XLIII, 48). Tempore posteriori etiam censor, qui neque lictores nec iurisdictionem habebat, ius imaginum consecutus est (Liv. XL, 45. Polyb. VI, 53, 9); sed magistratus curulis censura non nominabatur. Quod ad imperatorum aetatem attinet, iam Caesari erat permissum in curia praeter consules in sella curuli sedere (Cass. Dio. XLIII, 14: ἐπὶ ἀρχικοῦ δίφρου μετὰ τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐν τῷ συνεδρίῳ καθίξειν); postea ubique ea uti licebat (Cass. Dio XLIV, 4: καθέζεσθαι ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου πανταχῇ πλὴν ἐν ταῖς πανηγύρεσιν. In his scamnum tribuniciū ei destinatum erat). Magistratus curules dicti sunt a sella curuli, quae aetate regum posteriori ex Etruria Romam pervenit.

nare. Omnino enim quo tempore primum imagines factae sint, quoque invalescere coeperint, id permagno veterum scriptorum silentio pressum, non nisi coniecturis plus minusve probari potest. Nobilis omnino is erat, qui ingenuo loco ortus virtutibusque vel opibus inter ceteros excellens superiore quadam dignitate functus erat. Ante legem Liciniam latam omnes magistratus maiores penes patricios erant, quamobrem iidem nobiles appellabantur, quoniam eis ad honores maiores ascensus patebat, nec solum illi, qui magistratus curules gesserant. Promiscue nomen patriciorum et nobilium usurpatum est. Proinde Livius scripsit¹⁾: „App. Claudius —, ut patricii recuperarent duo consularia loca, cum suis, tum totius nobilitatis viribus incubuit“ et alibi²⁾: „circumstare sellam omnis nobilitas: orare, ut ex coeno plebeio consulatum extraheret maiestatemque pristinam tum honori, tum patriciis gentibus redderet.“

Aliam autem eamque singularem vim et notionem Romani nomini nobilitatis tribuerunt, cum plebeii etiam honores maiores consecuti essent. Gentes enim plebeiae, quae ad altiore quendam honorum gradum pervenerunt, splendore captae patriciisque invidentes sibi etiam certa iura et privilegia excipere volebant, quae ipsas a ceteris discernere plebeiis. Patricii quamvis inviti haec concedere coacti sunt, eos tamen, qui humili genere nati essent, in ordinem suum promoveri non passi, nobilitatem creaverunt et, qui ex plebe magistratus curules consecuti erant, eos nobiles vocarunt, simul etiam certa beneficia tribuentes, quibus solum ipsi adhuc usi erant. Atque etiam plebeiis in libertatem vindicatis patricii nomen suum retinuerunt seque peculiarem populi Romani partem esse opinati sunt; paulatim tamen, cum nobilitas in dies fere invalescere coepisset, ista differentia inter patricios et nobiles sublata est et exinde etiam maiore cum auctoritate emersit nobilitas. Illa igitur aetate, qua plebeii ad magistratus curules admissi sunt, nobilitas originem cepit, ius vero imaginum aliaque privilegia, quibus posthac usi sunt, sine dubio ex tempore longe antiquiori repetenda sunt. Iam regum aetate factae sunt imagines et in patriciorum familiis vetustissima earum exemplaria memorantur. Primum amore et religione ducti imagines mortuorum posteris conficiebant, quo facilius eorum memoriam servarent; postea idem magis magisque in usum venit

¹⁾ X, 15.

²⁾ Cf. id. II, 56. IV, 4. VI, 42. VII, 1. IX, 46.

et postremo a Romanis splendori inservientibus ius factum est. Erat ergo hic usus, ut opinor, in patriciorum familiis vetustissimus, plebeiis autem ad magistratus curules admissis vim et auctoritatem maiorem accepit. Documento sunt verba tribunorum plebis apud Livium, legem de consulum altero ex plebe semper creando suadentium: „ex illa die (cum plebei ad consulatum pervenerint) in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant, imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, maiora liberis relinquenda¹⁾.“ Hominem autem novum inter patricios nusquam invenimus; ergo plebei tantum, qui primi ex familia magistratum curulem gesserant, novi appellabantur. Primus eorum erat L. Lextius, consul a. 366 a. Ch., de quo scribit Livius²⁾: „annus hic erit insignis novi hominis consulatu“ et deinde incusat Herennius, tribunus plebis, nobilitatem, quod bellum duxerit, dicens: „id foedus inter omnes nobiles ictum, nec finem ante belli habituros, quam consulem vere plebeium, id est hominem novum fecissent.“ Sin autem dumtaxat eae patriciorum familiae ius imaginum habuissent, quae magistratibus maioribus functae fuissent, nos alicubi hominem novum inter patricios invenire necesse foret. Ceterum sententia nostra etiam comprobatur verbis Ciceronis, qui Papiriorum nomina enumerans conclusit³⁾: „quorum tu omnium patriciorum imagines habeas volo.“ Si igitur ius imaginum illi solum patriciorum habuissent, qui magistratus maiores gesserant, aut si tum ius imaginum ortum esset, quando plebei magistratus curules adepti erant, Ciceroni nobilium non patriciorum scribendum fuisset. Unde patescit ius imaginum iam ante legem Liciniam latam penes omnes patricios fuisse eosque tunc promiscue tam nobiles quam etiam patricios nuncupatos esse.

Neque silentio praetereunda videtur quaestio, utrum iam vivi homines imagines suas fecerint posterisque prodiderint, nec ne. Quod Sigonius⁴⁾ scripsit: „qui maiorum suorum habuerunt imagines, ii nobiles, qui suas tantum, ii novi, qui nec maiorum, nec suas, illi demum ignobiles appellati sunt,“ id omnes insequentium saeculorum viri docti acceperunt. Eadem etiam com-

¹⁾ VI, 37.

²⁾ XXII, 34.

³⁾ Ad fam. IX, 21.

⁴⁾ De antiquo iure civium Romanorum. II, 20.

probari videntur his Ciceronis verbis¹⁾: „nunc sum designatus aedilis: habeo rationem, quid a populo acceperim — togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae,” atque alio loco, ubi ait: „delectat amplissimus civitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, provinciae, sacerdotia, triumphus, denique imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita.” Habuit Cicero, ut veri est simillimum, futuram sui ipsius imaginem in mente, namque iam vivis hominibus imagines factas esse nullo modo cogitari potest. Huc accedit, quod Romani imagines quam simillimas habere volebant, quam ob causam cera, quae oris lineamenta verissima reddebat, utebantur formamque in defuncti demum vultu exprimebant. Id contestatur etiam Polybius his verbis²⁾: „μετὰ δὲ ταῦτα θάψαντες καὶ ποιήσαντες τὰ νομιζόμενα τιθέασιν τὴν εἰκόνα τοῦ μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰκίας,” nec minus Diodorus Siculus referens³⁾: „Τῶν γὰρ Ῥωμαίων οἱ ταῖς εὐγενείαις καὶ προγόνων δόξῃ διαφέροντες μετὰ τὴν τελευτὴν εἰδωλοποιοῦνται.” Vivi autem, ut Mommsenius⁴⁾ recte animadvertit, ipsi pompam funebrem cognatorum suorum comitati sunt.

Ergo homines novi imaginibus omnino carentes ne suas quidem habebant, nec erant proprie nobiles, sed dumtaxat homines novi posterique demum eorum imagines habentes nobiles vocabantur. Itaque Marius apud Quirites locutus est⁵⁾: „quia imagines non habeo et quia mihi nova nobilitas est.” Neque alio sensu dixit Valerius Maximus: „Catoni paterni generis una imago.” Ius vero imaginum atque omnino facultas magistratus curules capessendi plebeiis ad gloriam sibi parandam stimuli erant. Iuventus Romana iam a pueritia conspiciebat ordinem clarorum maiorum, quorum nonnulli in titulo fasces et triumphos inscriptos habebant, quocirca nihil tantopere cupiebat, quam ut honores aequales vel etiam ampliores consequeretur. Accu-

¹⁾ Verr. V, 14.

²⁾ VI, 53.

³⁾ XXXI, fr. 4. cf Herodian. IV, 2: „κηροῦ πλασάμενοι εἰκόνα, πάντα ὁμοίαν τῷ τετελευτηκότι κ. τ. λ.

⁴⁾ Handbuch der röm. Alterthümer I, p. 360 annot. 3.

⁵⁾ II, 10. cf Appian. B. C. II, 2: καλοῦσι δ' οὕτω (καινὸν) τοὺς ἐφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. Plut. Cat. mai. 1. Cic. Verr. V, 70.

ratissime hoc describens Sallustius¹⁾: „saepe, inquit, andivī Q. Maximum P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, cum maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in se habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit“. Quin et Polybius nullum aliud virtutis incitamentum melius fuisse iudicavit verbis²⁾: οὐ κάλλιον οὐκ εὐμαρὲς ἰδεῖν θέαμα νέω φιλοδόξῳ καὶ φιλαγάθῳ· τὸ γὰρ τὰς τῶν ἐπ' ἀρετῇ διδοξασμένων ἀνδρῶν εἰκόνας ἰδεῖν ὁμοῦ πάσας, οἷον εἰ ζώσας καὶ πεπτυμένας, τίν' οὐκ ἂν παραστήσαι; τί δ' ἂν κάλλιον θέαμα τούτου φανείη;

Tales auctores iuventus Romana ad imitandum sibi propositos habens secum aemulabatur et virtuti atque gloriae studens creberrime se suasque fortunas saluti patriae devovebat. Inde exstiterunt viri ingeniosi et fortes, qui summam rerum gerentes populo prudenter prae erant. Atque his potissimum viris Roma illud debet, quod totum fere tunc notum orbem terrarum in ditionem suam redegit.

Libertate et novis iuribus plebi concessis etiam novae vires novaque vita in re publica Romana exorta esse videntur. Exinde enim longa incepit series bellorum, ex quibus omnibus Romani superiores evaserunt. Non satis tamen scriptores rerum Romanarum tot victoriarum ab omnibus gentibus reportatarum hanc potissimum causam fuisse animadverterunt, quod instituta et leges Romanae hoc tempore quam optime conformata erant³⁾. Nec casu aut forte accidit, ut simul et res militaris immutaretur⁴⁾. Moribus etiam integris animisque puris et strenuis haud pauci solam reipublicae salutem omnibus appetebant viribus. Admo-

¹⁾ Iug. 4.

²⁾ VI, 53 Cf. Val. Max. V, 8, 3, ubi T. Manlium Torquatum filium suum ob male administratam provinciam condemnasse referens: „videbat enim, inquit, se in eo atrio consedissee, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago erat: prudentissimoque viro succurrebat, effigies maiorum cum titulis suis ideo in prima aedium parte poni solere, ut eorum virtutes posterī non solum legerent, sed etiam imitarentur.“

³⁾ Cf. Polyb. III, 2. VI, 50.

⁴⁾ Vid. Liv. VIII, 8.

dum igitur mirabilis fortitudo et constantia Romanorum bello Punico primo cernitur, quo calamitatibus acceptis ad hostem profligandum compulsi brevi tempore classem aedificarunt magnaue militum copia instruxerunt¹⁾. Summum autem fastigium virtus Romanorum bello Punico secundo assecuta est²⁾. De quo tempore dixit Cicero³⁾: „illa praeclara, in quibus publicae utilitatis species prae honestate contemnitur. Plena exemplorum est nostra res publica cum saepe, tum maxime bello Punico secundo, quae Cannensi calamitate accepta maiores animos habuit, quam unquam rebus secundis. Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret.“ Ac profecto nunquam fortius audaciusque pugnatum est, nunquam temperantia ac modestia, nunquam virtutes moresque integri tam communia omnium erant Romanorum, quam cum Hannibal Italiam oppugnaret⁴⁾.

Nunquam Romae viri praestantiores praeerant, quam illis temporibus, nam „cunctis civium, si bonis artibus fiderent licitum petere magistratus.“⁵⁾ Et tum omnes fortissimi non splendore vestium, non magnifico corporis cultu, non arte elaborata toga sese iactarunt gloriatique, sunt, sed studio rei publicae dediti imperium non in decore, sed in virtute situm iudicarunt.

Hisce conditionibus res Romanae in dies magis creverunt ac brevi temporis spatio omnes Italiae gentes imperio Romano subiectae sunt posteaque Sicilia, Sardinia, Corsica, Hispania, Africa, Macedonia, Achaia, Asia, Gallia, Illyria denique totus notus orbis terrarum.

Imagines maiorum tunc unicum familiae Romanae decus erant et simplicibus necdum depravatis Romanorum moribus alia domus ornamenta ignota erant. Itaque Lepidus „praecepit,“ ut iam memoravimus, „filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent, in reliquum funus ne plus quam aeris decus consumerent; imaginum specie, non sumptibus nobilitari maxi-

¹⁾ Cf. Polyb. I, 20. 38. 59. Plin. H. N. XVI, 39.

²⁾ Sall. Hist. fr. I, 11: „Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum.“

³⁾ De off. III, 11.

⁴⁾ Polyb. VI, 54. Cic. Tuse. 1, 42, 101 et de senect. 20.

⁵⁾ Tac. Ann. XI, 22.

morum virorum funera solere.“¹⁾ Ergo non speciem honorum non voluptates aut pecunias iuventus Romana appetebat; sed virtute nitens quisque magistratum curulem adipisci conatus est, ut auctor generis fieret familiamque suam nobilitaret. Quem honorem, qui primus ex aliqua gente plebeia consecutus erat, homo novus eiusque posteri nobiles nuncupabantur et ex illo in atrio domus imagines collocabantur. Ius autem imaginum transiit in posteros sive magistratu curuli functos sive non functos. Secundum Plinii enim verba²⁾ imagines maiorum gentilicia funera comitari solebant, quod idem Messala declarat, genti suae alienam Laevinorum imaginem inseri vetans.³⁾

Quoad familiae extendebantur ius imaginum, nobis Cicero prodidit⁴⁾ Papirios enumerans, quorum imagines plebeio Papirio Paeto ponendas suadet. Initio soli cognati in armariis conservabantur, postea vero, cum nobiles in eo aemularentur, ut imaginum pompa quam maxime illustris longo ordine procederet, inserebantur in stemma etiam imagines cognatorum et affinum vel etiam alienorum. Proinde in funere Drusi maioris Claudiorum Iuliorumque imagines apparent,⁵⁾ ergo cognati et affines; in funere Drusi minoris „origo Juliae gentis, Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectabantur.“⁶⁾ In funere autem Juniae, M. Brutti sororis, viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt, Manlii, Quinctii aliaque nobilitatis nomina.⁷⁾ Funus Marcelli sexcenti lecti cum maiorum imaginibus, Sullae sex milia eorum comitabantur.⁸⁾ Nec mirum igitur, quod de funere Augusti Cassius Dio scripsit:⁹⁾ *καὶ μετὰ ταύτας (αὐτοῦ τοῦ τεθνηκότος εἰκόνας) αἱ τε τῶν προγόνων αὐτοῦ, καὶ αἱ τῶν ἄλλων συγγενῶν τῶν τεθνηκότων (πλὴν τῆς τοῦ Καίσαρος, ὅτι ἐς τοὺς ἥρωας ἐσεγγέγραπτο) αἱ τε τῶν ἄλλων Ῥωμαίων τῶν καθ' ὅτιοῦν πρωτευσάντων, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Ῥωμύλου ἀρξάμεναι, ἐφέροντο. καὶ τις καὶ τοῦ Πομπηίου Μεγά-*

¹⁾ Liv. Epit. 48.

²⁾ H. N. XXXV, 2.

³⁾ Id. l. s. s.

⁴⁾ Ad fam. IX, 21.

⁵⁾ Tac. Ann. III, 5.

⁶⁾ Id. IV, 9.

⁷⁾ Id. III, 76.

⁸⁾ Vid. Serv. ad Virg. Aen. VI, 862. 875.

⁹⁾ LVI, 34.

λου εἰκὼν ὥφθη.“ Hoc enim tempore, quo adulatio maxime vige-
 gebat neque vitio dabatur, quo „Romae ruere in servitium con-
 sules, patres, eques et quanto quis inlustrior, tanto magis falsi
 ac festinantes vultuque composito“¹⁾ erant, funus Augusti omnes
 familiae insignes sine discrimine cognationis perfacile comitari
 poterant. Itaque Mommsenius²⁾ minus recte suspicari videtur,
 Dionem splendorem in pompis funebribus sua aetate usitatum
 ad funus Augusti retulisse. Nos etiam recordari oportet Au-
 gustum iam vivum ut deum cultum fuisse, ponebantur ei sta-
 tuae, aedificabantur templa, quin et sacerdotes ad eum colen-
 dum destinabantur.³⁾ Postquam mortuus est, Tiberius diu cum
 senatoribus deliberabat, quem in modum cadaver efferendum
 esset. Tum „ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asi-
 nius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula
 anteferrentur, L. Arruntius censuere.“⁴⁾ Usque eo res processit,
 ut Tiberio populus monendus videretur, „ne, ut quondam nimis
 studiis funus divi Julii turbassent, ita Augustum in foro potius,
 quam in campo Martis sede destinata cremari vellent.“⁵⁾ Ea-
 dem nimia sedulitate in ostentatione exquirenda etiam potest ex-
 plicari, quod Cassius Dio prodidit, tres hac in pompa imagines
 antelatas esse: ceream, auream et tertiam in curru triumphali⁶⁾.

Inde mores magis magisque labi coeperunt et falsi tituli
 compositi atque stemmata praeter modum aucta sunt. Quous-
 que insania familiae extollendae evecta sit, testis est iam Ju-
 lius Caesar,⁷⁾ qui in laudatione pro rostris de Julia, amita
 sua, sic refert: „Amitae meae, Juliae, maternum genus ab regi-
 bus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est.
 Nam ab Anco Marcio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater
 (i. e. Juliae mater, Marcia); a Venere Julii, cuius gentis familia
 est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui pluri-

¹⁾ Tac. Ann. I, 7.

²⁾ Handbuch der röm. Alterthümer. I, p. 359 Ann. 3.

³⁾ De Augusti cultu praeter alios disseruit Hoeck. röm. Gesch. I,
 p. 275.

⁴⁾ Tac. Ann. I, 8.

⁵⁾ Id. l. s. s.

⁶⁾ LVI, 34: „εἰκὼν δὲ δὴ τις αὐτοῦ κηρίνη ἐν ἐπινικίῳ στολῇ ἐξε-
 φαίνετο· καὶ αὕτη μὲν ἐκ τοῦ παλατίου πρὸς τῶν ἐς νέωτα ἀρχόντων,
 ἑτέρα δὲ ἐκ τοῦ βουλευτηρίου χρυσεῇ· καὶ ἑτέρα αὖ ἐφ’ ἄρματος πομπικοῦ
 ἦγετο.“

⁷⁾ Vid. Suet. Jul. Caes. 6 et cf. ibid. Galb. 2. Martial. V, 35, 4.

mum inter homines pollent et cerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.“ Caesaris exemplum imitati sunt ceteri nobiles et stemmata falso componentes et proavos in vetustissima referentes tempora. Unde factum est, ut familiae plebeiae saepenumero ex ordine patricio transitionem ad plebem fingerent, quo genus suum a vetusta et illustri origine ortum demonstrare possent; ¹⁾ principes scilicet deorum cognati facti sunt. Itaque etiam Galba originem paternam ad Jovem, maternam ad Pasiphaen, Minois uxorum retulit. ²⁾ Hoc vitium Persius ita perstringit: ³⁾

„An deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmata, quod Tusco ramum millesime ducis.“

Tunc stemmata hoc consilio tantum componebantur, ut nobilitatem avitam eorum ostenderent, qui maiorum suorum honoribus ac meritis gloriantes, ipsi ignavi, nec ulla virtute eminentes bona sibi relictata consumebant et reipublicae potius incommodo quam commodo erant. Ad eos spectant Senecae verba: ⁴⁾ „qui imagines in atrio exponunt et nomina familiae suae longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima aedium collocant, non noti magis, quam nobiles sunt?“

Iidem patriae ornamenta iactantes nihil habebant, quo ipsi illam exornarent, imo ex ea lucra faciebant, ut Ponticus ille, quem corripit Invenalis. ⁵⁾

Falsi vero tituli fictos honores et res gestas continentes nonnunquam insolenti cum arrogantia conscribebantur, reprehendit quod Livius ita: ⁶⁾ „cuius imaginis titulo consulatus

¹⁾ Cf. Rhein. M. N. F. 20 (1865). H. Dernburg. Ueber die transitio ad plebem, p. 90 sq.

²⁾ Suet. Galb. 2.

³⁾ Sat. III, 27, 59.

⁴⁾ De ben. III, 28.

⁵⁾ Sat. VIII, princ.

„Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri pictosque ostendere vultus
Maiorum et stantes in curribus Aemilianos
Et Curios iam dimidios, humerosque minorem
Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus, generis tabula iactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? Effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? — —

⁶⁾ IV, 16. XXII, 31. Plin. H. N. XXXV, 2.

censuraque et triumphus aequo animo legetur, si auguratum aut pontificatum adieceritis, non sustinebunt legentium oculi.“ Irridet et disertissimus vates Horatius istam Romanorum ineptiam his versibus:¹⁾

(populo) „qui stultus honores
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
Qui stupet in titulis et imaginibus.“

Ius imaginum, ut iam supra diximus, in posteros transibat, et quisque ex familia nobili hoc privilegium accipiebat, si eius facta dictaque iusta et legitima erant, nec ullum crimen eius famam maculaverat. Sin quis criminis convictus erat, nec in exsequiis ferri nec fieri quidem licebat. Quare Plutarchus tanquam insolens quiddam in Caesare²⁾ notat, quod in funere Iuliae, amitae suae, Marii mariti imagines praeferre ausus sit, quae quidem tum primum post Sullae dominatum conspiciebantur, ex quo Marius rei publicae hostis iudicatus erat. Sic etiam Bruti et Cassii, percussorum Caesaris, imagines in funere Iuliae non videbantur,³⁾ quia illi ex lege Pedia damnati erant. Per se intelligitur, etiam eorum, qui post mortem damnati essent, imagines fractas et ex atriis exclusas esse, velut de imagine Libonis, qui perduellionis accusatus sibi ipse manus intulit, Cotta Messalinus censuit, ne exsequias posterorum comitaretur.⁴⁾ Ne in stemma quidem gentile tales imagines inserere licitum erat, quod usque ad Neronis aetatem observatum est. Scripsit enim Suetonius:⁵⁾ „obiectum est — Cassio Longino — quod in vetere gentili stemmate C. Cassii, percussoris Caesaris retinisset imagines,“ sicut Tacitus⁶⁾ obiectavit Cassio, quod inter imagines maiorum etiam C. Cassii effigiem coluisset ita incriptam: duci partium.“ Neque qui in exilio erat in funere suo maiorum imagines habere poterat omnibusque aliis honoribus carebat, sicut Sulla, cui „omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt.“⁷⁾ Ad eundem morem spectat, quod de P. Clodii cadavere sine imagi-

¹⁾ Sat. I, 6, 15 sq.

²⁾ Jul. Caes. 7.

³⁾ Cf. Tac. Ann. III, 76.

⁴⁾ Id. II, 32.

⁵⁾ Ner. 37.

⁶⁾ Ann. XVI, 7.

⁷⁾ Cic. p. Sull. 31, 38.

nibus, sine cantu, sine ludis, sine exsequiis, sine lamentis sine laudationibus, sine funere ambusto Cicero ait: „non fuisse, credo, fas clarissimorum virorum formas illi teterrimo parricidae aliquid decoris afferre.“¹⁾

Neque placuit ad haec officia adhibere imagines consecratorum et inter deos relatorum, sicuti in Iulii Caesaris honorem triumviri edixerunt, ne in funeribus consanguineorum illius imago, cum in deos relatus esset, amplius gestaretur.²⁾ Item Augusti imago in funeribus non ferebatur.³⁾

Inter bella cum Carthaginiensibus gesta, ut iam diximus, populus Romanus validus et concors esse videbatur, praeterquam quod pervicax et obstinatus Claudius Pulcher proelio navali superatus, cum dictatorem dicere a senatu iuberetur, velut illudens discrimini publico, Gliciam viatorem suum dixit.⁴⁾ Nec cetera discidia magni erant momenti. Alio autem res conversae sunt Carthaginiensibus devictis.⁵⁾ Provincias occupatas propraetores et proconsules administrandas inter se partiti sunt, unde pravitatibus et iniuriis magnas contraxerunt opes, id quod Cicero copiosissime in orationibus Verrinis exposuit. Quo tamen maiora lucra nobiles ex suis provinciis faciebant, eo arctius se coniungebant, ut cunctos magistratus, aeraria, provincias sibi acquirerent. Plebeio igitur perdifficile erat magistratum curulem assequi, praesertim cum humili loco natus esset. Permagnas divitias, ingentem animum, praestantissimas virtutes vir ignobilis haberet, necesse erat, ut magistratum maiorem adipisceretur, nam nobilitas omnibus contendebat viribus, ne quis ex plebe ad regimen reipublicae admitteretur, ac praecipue „consulatum inter se per manus tradebat. Novus nemo tam clarus neque tam egregius factis erat, quin indignus illo honore et quasi pollutus

¹⁾ P. Mil. 32. Cf. Inv. VIII, 17 sq.

„emptorque veneni

Frangenda miseram funestat imagine gentem.“

²⁾ Cass. Dio. XLVII, 19: „πρός δὲ τούτοις ἀπείπον μὲν μηδεμίαν εἰκόνα αὐτοῦ, καθάπερ θεοῦ τινὸς ὡς ἀληθῶς ὄντος, ἐν ταῖς τῶν συγγενῶν αὐτοῦ ἐκφοραῖς πέμπεσθαι. Cf. Id. LIV, 34.

³⁾ Id. LVI, 46.

⁴⁾ Liv. Epit. 19. Suet. Tib. 2.

⁵⁾ Cf. Sall. frg. I, 13: „Ex quo tempore (remeto metu Punico) maiorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati; adeo inventus luxu atque avaritia corrupta est, uti merito dicatur, genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati.“ Add. Catil. 10. Iug. 41. Vell. II, 1. Flor. III, 12.

haberetur.“¹⁾ Sic nobilitas etiam Catonem indignabatur novum hominem censorem videre.²⁾ Nec alio spectant haecce Cicero-
nis verba: „me perlongo intervallo prope memoriae temporum-
que nostrorum primum hominem novum consulem fecistis, ut
eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum atque omni ra-
tione obvallatum habebat, me duce rescidistis.“³⁾

Pro ut vero potentior facta est nobilitas, eo plebs debilior. Summa rerum in manus paucorum redacta erant, militia atque inopia urgebatur. Permulti nominatim in pugna Cannensi interierunt⁴⁾ et cum pauci restarent, qui agrum colerent, magna pars plebeiorum agros suos venales dixit. „Adeo impar libertas erat diti ac paupero, honorato atque inhonorato.“⁵⁾

Una tamen cum inopia et egestate plebem etiam cupiditas et avaritia invasit. Nihil iam facilius erat, quam magnis sumptibus magistratum redimere. Plurimum tunc valebat aedilitas, quippe quae quasi via ad magistratus maiores existimaretur. Splendidis et sumptuosis ludis paucis mensibus ante factis capta plebs aediles praetoram ambientes, quamquam minime idoneos, creabat.⁶⁾ Quod Cicero his verbis reprehendit: „modo L. Fimbriam, C. Marium, C. Coelium vidimus non mediocribus inimiciis et laboribus contendere, ut ad istos honores pervenirent, ad quos vos per ludem et negligentiam pervenistis.“⁷⁾

Ita cum omnes affectatio potentiae, avaritia, ambitio invasissent, nihil morum priscorum restitit ac ne cultus quidem deorum intactus relictus et religio rebus singulorum accomodari coepta est.⁸⁾ Quid, quod sacerdotia ab hominibus adolescenti-

¹⁾ Sall. Ing. 63.

²⁾ Liv. XXXIX, 41.

³⁾ Cic. de leg. agr. II, 1. Cf. et 36. p. Cluent. 40. Verr. V, 70. Sall. Ing. 73. Catit. 23. Liv. XXII, 34. Vell. II, 128.

⁴⁾ Liv. XXIII, 31.

⁵⁾ Id. XXVI, 2. Cf. XXXI, 13. XXXIV, 4.

⁶⁾ Sall. Ing. 4: „quis est, inquit, omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat? Etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem aut evenire, furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur, proinde quasi praetura et consulatus atque alia huiuscemodi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est.“ Add. Cic. in Pis. 1. Plaut. Trin. III, 2, 16. Cf. Mommsen. Handbuch der röm. Alterth. I, p. 436 sq.

⁷⁾ Verr. V, 70. cf. Sall. Ing. 85.

⁸⁾ Cf. Polyb. Hist. VI, 56.

bus gerebantur? ¹⁾ Quo rerum statu omnis pudor, omnis verecundia, omnis patriae amor intercidit. Nobiles nihil nisi illegitimam appetebant potestatem cum lucris iunctam, dum plebs inopia oppressa et victum quotidianum quaerere coacta pecuniae humiliter serviebat. Nec amplius inventus Romana maiorum imaginibus, nec eorum exemplis incitabatur, sed ignava, domi luxuriae et libidini dedita, Graecos audiebat philosophos, qui tum Romae plures erant quam Athenis. ²⁾ Ad summos magistratus viri splendore generis vel maiorum virtutibus praecellentes aut corruptionibus aut cognatorum amicorumve gratia efferebantur, qui rem publicam bene administrare non poterant. Triumphum ducum iussu habebantur, virtus atque belli gloria nihili ducebatur. Praedae, spolia, opes cogeantur et avaritia etiam populi duces ad corruptiones trahebat. Iam Iugurtha Romae omnia venire ³⁾ cognoscebat. Cupidi postea potestatis et divitiarum principes bella civilia gerebant, quibus permulta civium milia occidebantur. Notae porro sunt Sullae proscriptiones eiusque crudelitas et effrenata licentia, quas Cicero in orationibus suis persaepe commemorat. Quicumque occurrebat, nec placebat missis ambagibus trucidabatur. ⁴⁾ Agri et provinciae cruore civium optimorum maculata meretricibus, histrionibus, militibus gregariis dono dabantur ⁵⁾. Nec ignota sunt illa veneficia, quibus uxores maritos, filii patres patresque filios interemerunt ⁶⁾.

Divitiis undique coactis Graecoque cultu illato vita alia Romae institui coepta est. Syracusis exspoliatis primae Grae-

¹⁾ Cf. Liv. XXV, 5. XXXIII, 42.

²⁾ Sall. Ing. 85.

³⁾ Id. 28.

⁴⁾ Cic. in Cat. II, 5: „Non enim iam sunt mediocres hominum libidines, non humanae ac tolerandae audaciae: nihil cogitant, nisi incendia, nisi rapinas.“ Cf. Lucan. Phars. II, 100 sq.

„Nobilitas cum plebe perit lateque vagatur
Esis et a nullo revocatum est pectore ferrum.
Stat cruor in templis multaque rubentia caede
Lubrica saepe madent, nulli sua profuit aetas.“

Add. Plut. Sull. 3. Vell. II, 22. 28. Flor. III, 21. Val. Max. IX, 2.

⁵⁾ Plut. Sull. 3. Sall. Catil. 37.

⁶⁾ Ars venefica duobus iam saeculis a. Ch. n. satis divulgata erat, praecipue autem Neronis tempore, quo multorum scelerum fama insignis enefica Locusta vivebat. Vid. Liv. VIII, 18. Tac. Ann. IV, 8. XII, 66. Suet. Ner. 33.

corum artes Romam translatae sunt¹⁾. Domus magnificae exstruebantur, ad quas marmor e Graecia arcessitum adhibebatur²⁾. Conditae atria sublimia vario marmore exornabantur, sed pulcher iste mos maiorum imagines conservandi iam minus placebat. Primum in locis publicis et templis statuæ ponebantur aeneae et marmoreae³⁾; tum etiam in atriis loco cerearum imagines ex aere vel marmore confectae, nec iam simplices, ut cerae, sed toto corpore atque adeo in equis sedentes constituebantur⁴⁾.

Posterius etiam spolia ac exuviae, signa et tabulae exter-
narum gentium, vasa aurea et argentea summo cum studio ad
decoranda et exornanda atria conquisita affigebantur. Nullum
iam vestigium morum priscorum aut virtutis et fortitudinis Ro-
manae restitit. Pro ut immensa auri opumque copia affluebat,
Roma sane notior facta est, nec vero lascivia et luxus ei gloriam
parabant. Optime hos mores corruptos aetatis suae Propertius
descripsit versibus⁵⁾:

„Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.“

¹⁾ Liv. XXXIV, 4 ait Cato: „Infesta, mihi credite, signa ab Syra-
cusi illata sunt huic urbi. Iam nimis multos audio Corinthi et Athenarum
ornamenta laudantes mirantesque et ante fixa fictilia deorum Romanorum
ridentes.“ Cf. id. XXV, 31. 40. Polyb. IX, 10. Cic. Verr. IV, 54, 120. Appian. Lib. 4. Plut. Marc. 21. Gerlach. Der König Hieron und
Marcus Claudius Marcellus. 1861.

²⁾ Plin. H. N. XXXVI, 3. 6. 15.

³⁾ Praesertim Augusto imperante multae statuæ ponebantur, quae
etiam religiosae haberi coeptae sunt, quod tamen Tiberius in principio
sui principatus fieri vetuit, secundum Suetonium (Tib. 26) enim „prohi-
bit statuas atque imagines, nisi permittente se poni permisitque ea sola
conditione, ne inter simulacra deorum, sed intra ornamenta aedium po-
nerentur.“

⁴⁾ Vid. Plin. H. N. XXXV, 2. Martial. II, 90, 6. Inven. Sat. VIII,
3 sq.

⁵⁾ Eleg. III, 13, 48 sq.



V I T A.

Ego Antonius Drygas, fidei catholicae addictus, Ostroviae ante diem XII Calendas Iunias anni h. s. XLVII natus sum patre Ioanne, matre Agnesia e gente Kulczyńska, quam iam quatuor ex annis valde aegrotam vehementer lugeo.

Literarum elementis in schola et gymnasio urbis patriae imbutus gymnasium Sremense, quod adhuc Viri Illustrissimi Stephani auspiciis floret, usque ad auctumnum anni MDCCCLXVII frequentavi. Quo tempore testimonium maturitatis academicae adeptus, Vratislaviam discessi, ut literis philologicis et philosophicis operam darem. Per tria inde semestria scholas VV. Ill. Braniss, Hertz, Junkmann, Krain'ski, Ogiński, Nehring, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler audiui. Deinde Berolinum transgressus per sex semestria scholis VV. Ill. Curtius, Droysen, Geppert, Haupt, Huebner, Kirchhoff, Mommsen, Steinthal, Trendelenburg interfui.

Interim autem bello inter Francogallos et Germanos exorto aestate anni MDCCCLXX ad arma vocatus sum et vere demum anni praeteriti me ad mea studia animo retenta et aliquamdiu intermissa referre potui. Quo facto mihi contigit, ut societatis philologicae ab Ill. Huebnero institutae duo per semestria sodalis fierem. Cui Praeceptor benevolentissimo, sicut cunctis reliquis de me praeclare meritis gratias quam maximas et hoc loco ago nec unquam non habebo.

THESES.

I.

In Il. l. XIII. vv. 657—659 eiciendos esse puto.

II.

In Sophoclis Antig. v. 680:

Κοῦκ ἂν γυναικῶν ἥσσονες καλοίμεθ' ἂν
contra Meinekii sententiam servandum esse censeo.

III.

Ibid. v. 782 emendationem Meinekii ἐν δόμασι et Seyfertii ἐν βλέμμασι pro vulg. ἐν κτήμασι probari non posse existimo,

IV.

In libri „De Republica Atheniensium,“ qui Xenophontis fertur, cap. II, sect. 1, ubi Ludov. Dindorfius edidit:

Καὶ τῶν μὲν πολεμίων ἥττους τε σφᾶς αὐτοὺς ἡγοῦνται εἶναι καὶ μείζους, τῶν δὲ συμμάχων, οἳ φέρουσι τὸν φόρον καὶ κατὰ γῆν κράτιστοί εἰσι, καὶ νομίζουσι τὸ ὀπλιτικὸν ἄρχειν, εἰ τῶν συμμάχων κρείττονές εἰσι,
ego legendum esse conicio:

τῶν μὲν πολεμίων ἥττους σφᾶς αὐτοὺς ἡγοῦνται εἶναι, τῶν δὲ συμμάχων, οἳ φέρουσι τὸν φόρον καὶ κατὰ γῆν κράτιστοί εἰσι, μείζους, καὶ νομίζουσι τὸ ὀπλιτικὸν ἄρκεῖν, εἰ τῶν συμμάχων κρείττονές εἰσι.

V.

Cleonem in republica Atheniensium gubernanda meliorem exstitisse virum affirmo, quam plerique e Thucydidis et Aristophanis iudiciis censere solent.

















